



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Alterius etiam pseudoministri. n. 6.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

1611.

taretur, proiectisque in medium libris loca recitare inciperet quæ fucato fallaciterque prolata arbitraretur, omnium in se vnum coniectis oculis, hic mirari, ille excandescere & querere quid tandem esset tanti vel in Thomæ Bell, vel in cæteris quo tantopere commoueretur? Cantuariensis clatâ & concitatiore voce obiectans obstinationem & audaciâ non tolerandam, minatur carceres; Alij & inter hos Christophorus Perkinsius (de cuius à Societate defectione initio huius historiæ narratû est) seorsum abducto suadere conantur vt omnia difficili disceptatione animum ad receptas per Angliam opiniones inflectat; ea conformatione Regis & Cantuariensis conciliatâ gratiâ gradum etiam ad dignitatem aliquam, vel ampliorem certe fortunam fieri posse; periculum esse si obfirmet animum præsentis ne excidat & futura spe. Quæ ratio cum animû veritatis indagandæ non lucri audum nequaquam afficeret, & facta esset secundo abundi copia, ratus frustra rediturum se ad eos qui alia omnia agebant præter id de quo ipse cupiebat doceri, studium suum omne ad conferendos inter se Catholicos hæreticosque scriptores conuertit; in quo cum ad plures menses improbo labore defudasset, & breuiori deinde cursu à Catholicis Catholica dogmata didicisset, in vniuersalis Ecclesiæ decretis conuiescens ad Orthodoxorum partem transiit, & opportunitate vsus exulantium eo tempore Sacerdotum, tanquam ex illis vnus, regnum speisque fluxas deserens Romanique ad *Personium* lemigrans, post studia grauiora Societatem amplexus est; editaque in lucem Conuersionis suæ historia (quam *Disquisitionem* inscripsit de rebus ad Religionem pertinentibus) non minus aliorum quam suæ salutis consuluit, multos enim rei vti gesta est sincera sine fūco narratio ad sana cõsilia induxit, cum vnâ subiecta oculis conspicerent & hæreticorum frudulenta artificia ad ea quocunque demum colore contegenda quæ honestè defendere non possunt, & Catholicorum apertam solidamque rationem sua demonstrandi, & antiquam ab Apostolico tempore fidem ad ætatem nostram propagatam confirmandi. Quæ ratio cum exitum non valde disparem habuerit in alterius Pseudoministri reductione ex eiusdem *Personij* libris perlectis, adiungam istius ad *Personium* latinam, quemadmodum accepi, Epistolam quâ rem vti accidit explicat.

VI.

Reuerende Pater.

Alterius
Pseudo-
Ministri
conuersio.

Miraris forsitan quod ignotum ignotum literis hinc meis interpellem; vltè etiam miraturus, si fatear me ab eo nunc viro opem petere, cuius olim nomen, mirè apud nos diffamatum misereque tractatum, solebam horrere; sed puer hæreticus cum essem, non tam malitiâ quàm sapientiâ, sentiebam, loquebar, faciebam vt puer & talis puer: vtinam nunc vir Catholicus fiam, delicta iuuentutis plangam, & plangenda non committam. Mirum hoc videatur, & si placet, miraculum, quod Minister Anglicanus, satis opimè beneficiatus, vxori & liberis astrictus, hæresim in qua natus, nunc palam repudiet, fortunis omnibus se exuat, & in Sacrosanctæ Ecclesiæ Catholice Romanæ gremio foueri desideret: sed mirabilia qui facit Deus, hoc fecit, & ob

hoc

hoc in me factum, sit nomen Domini à me semper benedictum, quem item
 submissè oro vt quod in me incipit, perficiat opus bonum. Deus autem qui
 attingit à fine ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, plurimum per
 media suauia perducit ad finem fortiter apprehendendum. Te igitur, Pater
 Reuerende, quem habui operantem in dispositione, habeam coöperantem in
 apprehensione; libri siquidem tui, pij, doctique (qui hic tibi augent meri-
 tum substantiale, & post hac augebunt accidentale) præparabant mihi cor
 (instar medij externi) ad suspiciendos bonos mores, & incitabant ad inuesti-
 gandam fidem rectam, libros dico *Christianæ Resolutionis*, & *Triplicis
 Angliæ Conuersionis*. Atque vt intelligat Paternitas vestra quo nunc sim statu
 & quid à R. V. petam, à primordijs vsque ad præsentia rem breuiter re-
 petam.

Libri Per-
 sonij lecti-
 one incho-
 ata.

Ante annos duodecim, cum primùm studio Theologiæ animum appli-
 cuiissem, ad sacræ Paginæ textum, more nostro, statim me consero, & ad
 Neotericos Protestantium Commentarios, Illam inueni obscuram, hos vbiq;
 pene varios, aut contrarios: obstupesco; libros igitur quero de vitæ emen-
 datione, & virtutum institutione; præsto sunt multi, atque inter hos (rem
 dico, non adulationem) tuos *de Resolutione* reperi præcipuos; quorum qui-
 dem attentâ lectione adductus sum ad vitam aliquanto melius componen-
 dam, inde etiam cogitans meditor, An sit possibile vt qui tam sedulò & serio
 curant bona faciendâ, ijdem tam turpiter hallucinentur circa vera credenda,
 sicut in nostrorum libris legi scriptum, & ex nostris suggestis audiui concio-
 nari. Sepositis igitur confusis illis Caluini Institutionibus, comparo mihi di-
 gnissimi nunc Cardinalis *Bellarmini* opera quædam, & nostratis acutissimi
Stapletoni nonnulla Scripta, & doctissimi *Melchioris Cani* locos communes,
 Aduocatos item mihi assumo *Chemnitium*, *VVhitakerum*, & verbosum
Bezam: Rem aliter se habere statim sensi quàm vulgo iactatur quoad quæ-
 stionum multarum verum statum; atque in paucis illico mutavi sententiam,
 veruntamen in plurimis vel ignarus, vel obstinatus persistebam, in reliquis
 huc illic impellebar, & incertus fluctuabam. Diuertebat me tunc temporis
 ab his Controuersiarû studijs ad perlegendos Scholasticos vir quidam Senex,
 grauis & doctus, Dominus *Castletonus*, cuius prudentia tota Diœcesi Nor-
 wicensi plurimum æstimatur: Ego autem, tum cum eram in ædibus G. Red-
 man, nuper (vt nos loquimur) Episcopi Norwicensis domesticus & eiusdem
 dum vixit Capellanus, hunc *Castletonum* summopere venerans, & eidem
 peculiariter deuinctus, eius parui consilij: percurro leuiter Magistrum senten-
 tiarum, & deinceps similiter Diui Thomæ Aquinatis summas omnes: in
 istis quæ capio, amplector, quæ non capio, admiror, omnia pene mihi sapie-
 bant benè: obseruo mirum Gratix ordinem, videoque eos multo aliter sta-
 tuere de multis Religionis Capitibus hodie Controuersis, quàm nostri putant,
 aut saltem prædicant: Ego id miror, & fraudem suspicor: Redeo ad Contro-
 uersias; hoc potissimum proposito vt quæram, An moderni Catholici, à vete-
 ribus

1611. ribus Catholicis, vel vtrique eorum inter se inuicem dissentiant necne in rebus fidei? Illos igitur reuoco ad normam Concilij vltimi Tridentini: Omnes a deo consentiunt, vt ego in pluribus amplius dissentire non potuerim: Ex quo proinde in celeberrimis variorum locorum & populorum Auditorijs, in Concionibus meis publicis cæpi palam proponere in aliquibus doctrinæ Catholicæ veritatem, sed eâ cautelâ adhibitâ in deligèdo subiecto de quo sermonem essem habiturus, vt etiam si manifestè causam perorarem Catholicam, Ecclesiæ tamen Anglicanæ (quæ pauca habet definita) apertè non contradicerem, neque legibus nostris secularibus (quæ plurimos habent laqueos) memet innodarem: Atque ad eundem modum elapso iam sexennio in publicis disputationibus Cantabrigiæ pro Sanctæ Theologiæ Baccalaureatu habitis, liberû hominis arbitrium pro virili defendi. Neque hic potui me cohibere; quoniam ignitus in me ardebat feruor auitæ veritatis à scorijs expurgandæ. Pergo ad Historias Ecclesiasticas Tripartitas, Eusebium, Theodoretum, aliosque; Patres etiam nonnullos euoluo; & quorum antea legeram tantummodo tractatus quosdam morales, & sermones de tempore, eorum nunc peruoluo, scripta quædam Dogmatica, quædam Polemica: Deus bone! quam verum reperi eius dictum qui respondit *non posse fieri vt Papiſta non eſſet, qui Patres legat, iſſque credat*. In pluribus iam captus non potui euadere; in multis adhuc, noſtrorum deceptus commentationibus, quærcbam diuerticula, ac in ijs latui ſubterfugijs. Interim vero cæpi Catholicos inter nos degentes obſeruare, eos illorumque virtutes apprimè diligere, iſque in ſuis calamitatibus condolere, & in quo potui opitulari: Inter cæteros ſummè obſeruabam D. Thomam Cornwallis Equitem (vt pote à cuius ædibus beneficia mea non multum diſtabant) & D. Ioannem Bedingfield Armigerû, viros prudentiſſimos, & integerrimos; quorum herclè exemplis erga Deum pietatis, erga homines probitatis, & ſobrietatis in ſe, adeo commotus ſum ad examinandam eorum Religionem, & ad conſcientiam meam compellendam vt neceſſarium mihi duxerim adire Framlinghamiam, vbi tum tenebantur in carcere multi Sacerdotes Catholici. Illic conueni ſemel iterumque Guilielmum Alabaſterum amicum meum; Is me adduxit ad Patrem quendam Ieſuitam, cuius quidem ligni ſancti ſacros nonnullos decerpi & deguſtaui fructus; antequam vero coquerentur hi guſtati, vel matureſcerent alij percipiendi, Elizabethâ noſtrâ nuper reginâ morte ſubito abreptâ, hæc mihi dulcis occaſio eſt etiam intempetiue prærepta; Ille enim in exilium protinus eſt protruſus, ego in ſolitudine conſilij, & ſolitudine animi relictus, neſciebam qua me verterem: Ille certe diſcedens curam dederat amico cuidam ſuo intentionem meam promouendi; neque ego penitus neglexi: explicare tamen nequeo quantis angebar animi anxietatibus, quantis agitabar diaboli moleſtijs, quantis mundi infeſtabar curis: Deum teſtor, hæc recolens horreo; & ab his iam liberatus, Deum vt imperet, Sanctos omnes vt impetrent feruenter oro humiliterque rogo. Sed tamen propter ingruentem, & vbiq; eo anno graſſantem horridam peſtem, neque potui

Apud Cæſariæ in
rationibus

Promota
Catholico-
rum
probitate.

potui itinera quæ debueram suscipere, neque in quibusdam pungentibus dubijs mihimetipsi satisfacere: Orabam assidue (Deus nouit quantâ cum deuotione), & quamprimum per pestis periculum licuit, doctos amicos quosdam meos adij, & qui in Academia, & qui extra: Singulis proposui dubia; eorum probabilibus (vt mihi tum videbatur) sed non necessarijs responsionibus aliquantisper acquiesco; cicatrix vulneri obducitur; studeo deponere cõscientiam; ideoque à discutiendis vltra his meis dubijs abstinere decerno; præsertim cum persuasa haberem hæc doctissimorû nostrorum placita, Ecclesiam scilicet, Romanam nostramque eandem in rebus fidei ad salutem necessarijs retinere vnitatem; vtrasque esse veras Ecclesias; nostram ab illa deriuatam in successione Ordinum quoad necessaria, in deriuatione doctrinæ quoad fundamenta; vtroque posse saluos esse; &c. Sic volui animam meam periclitari; hocq; modo annum pene integrum sopitus delinitusque conqueui, in reprimendis peccatis sedulus, in fide otiosus.

VII. En autem optimam maximamque Dei opt. max. benignitatem & clementiam erga me indignum miserumque: Venit mihi tandem in manus liber ille tuus terq; quaterq; laudandus *De Triplici Anglorum Conuersione*, qui me dormientem expertexit, vigilantem pupugit, & prouocauit reluctantem, adeo vt non possem non redire ad pristinam saltem indaginem: perspexi etiam præterea clypium mihi quendam è manibus excussum, quo antea me texeram; Collegi me quantum potui; & licet non auderem spiritum extinguere Tuâ ope in me accensum, volui tamen in acie Ecclesiæ nostræ dimicare, vsque ad omnium meorum dubiorum interneccionem. Vltimo aggressus sum Patres Iesuitas, quorum præcipuè expertus sum Charitatem & eruditionem. Restiti tamen illis quantum potui, donec veritate diuinâ prælucente reliquæ errorum & dubiorum caligines sunt dispersæ, & sacrosanctæ Ecclesiæ Catholicæ auctoritate me constringente victus succubui, herbamque porrexi. Accipiat igitur me Mater Ecclesia precor, non vt leuem transfugâ, sed vt supplicem Captiuum; Hoc primum cupio, hoc præcipuè peto. Sed & alia sunt quæ velim à te exorata, primo & maximo opere altû desiderio huius negotij silentium ne quouis modo notitia ad Magistratû perueniat, donec per meipsum, vel per amicum fidelem negotia quedam mea in tuto ponantur, vt concreditum mihi æ alienum persoluatur, ad quæ peragenda vellem, si fieri possit, alterius anni meorum Beneficiorum fructus Ecclesiasticos mei recipiant, antequam ad meam depriuationem secundum Iuris Anglicani formam procedi possit: Vellem etiam inscijs omnibus sub alio pretextu hinc discedens, per totam proximam hyemem alicubi delitescere: In proximum autem Ver pararem me ad quamlibet directionem; atque hæc de taciturnitate.

Secundo de Caritate; vbi mendicum me agere oportet, vestram implorans auctoritatem quâ polletis apud viros magnos, & benignitatem quam præstare soletis erga minimos; vt ex vestra gratia habeam vbicumque terrarum vel tenuem victum pauperemque vestitum, pro me, vxore, & quatuor liberis

Ees

(quos

Iterata
librorum la-
ctione cõ-
firmata.